

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 14: De conditione humana et brevitatem huius vite (4)

Basilus:

Dic, queso, michi qualis profectus fuit aut est in pulchritudine carnis.
Nonne sicut fenum estatis ardore percussum arescit,
et paulatim pristinum decorem amittit?

Succedente enim senectute corporis omnis decor, deperit pristinae floride iuventutis,
et qui ante in amorem carnis exardescebant, postea eis in odium convertitur.
Et quando mors venerit, quantum remanebit pulchritudinis?
Tunc recognosces, quia vanum est, quod ante inaniter diligebas.
Cum enim videris totum corpus intumescere et in fetorem esse conversum,

nonne claudis nares tuas non sustinens putorem fetidissimum?
Ubi est enim omnis illa oblectatio?
Require, si est pristini decoris aliquod vestigium.
Ubi est enim suavitas luxurie et conviviorum opulentia?

Ubi effrenata et inutilis letitia?
Velut decursus aquarum pertransiens, nusquam comparuit.
Iste finis est carnis pulchritudinis quam amabas, hic oblectationis terminus.

Dic mihi, quaeso, fili, quis sit profectus animae amare pulchritudinem carnis.
Nonne sicut fenum, cum a fervore aestatis percussum fuerit, arescit
et paulatim pristinum decorem amittit?

Similis est etiam humanae naturae species.

Succedente enim senectute omnis decor pristinus iuventutis floridae deperit
et quos in amorem sui antea concitabat, postmodum in odium eorum efficitur,
et quando mors venerit, tunc penitus omnis pulchritudo delebitur.

Et tunc recognosces, quia vanum est, quod antea inaniter diligebas.

Cum videris totum corpus in tumore et foetore esse conversum,

nonne intuens maximo horrore concuteris,

nonne claudes nares tuas non sustinens foetorem durissimum?

Ubi est postmodum illa omnis oblectatio?

Require, si est alicubi pristini decoris aliquod vestigium.

Ubi est suavitas luxuriae et conviviorum opulentia?

Ubi sunt blandimentorum verba, quae corda simplicia molliabant?

Ubi sermones dulces, qui amaritudinem amantibus infundebant?

Ubi est inmoderatus risus ac iocus turpis?

Ubi ineffrenata et inutilis laetitia?

Velut decursus aquarum pertransiens nusquam comparuit.

Hic est finis carnis pulchritudinis, quam amabas. Hic est oblectationis corporis terminus.

Pseudo-Basilus, *Admonitio ad filium spiritualum*, 8 (P. Lehmann ed., 1955, pp.42-3, ll.15-21, 1-12).